

IN PRIMUM TOMUM

PRÆFATIO ⁽¹⁾.

De hujusce tomi editione, Erudite Lector, non est a nobis instituenda longa præfatio. Complectitur hæc pars eadem omnino Augustini opuscula, quæ apud Erasmum et Lovanienses continebantur. Illud tantum interest discriminis, quod in Appendicem rejecimus nonnulla, quæ pro genuinis Augustini lucubrationibus habuerant viri eruditi; et quod quædam S. Doctoris opera loco tantisper movimus, ut seriem ordinemque temporis, quo unumquodque opus ab Auctore prodiit, quoad ejus fieri potuit, servaremus. Et quidem opportune in hoc tomo disposita sunt ea, quæ Augustinus juvenis ac nondum presbyter scripsit; ita tamen ut primum locum obtinerent libri Retractationum, quos edidit senex, quasi præviam introductionem ad alios libros. Retractationes porro Confessionum libri, quos episcopus vulgavit, non immerito consequuntur: quia sicut in scriptis suis si quid obscurum, si quid dubium, si quid veritati non satis consonum irrepserat, retractando explanavit, enodavit, emendavitque; ita in Confessionum libris si quid in moribus ac vita sua a veræ quam tradit pietatis tramite aberraverat, piaculari confessione expiavit. Sicque in libris Retractationum sincerum ac minime fucatum veritatis amorem cum singulari modestia inspirat, in Confessionibus veram pietatem et disciplinam: quibus dotibus instructum esse oportet eum, qui ad ejus doctrinam contendit ex animo.

Illis non sine uberi fructu, multoque voluptatis sensu decursis, succedebant apud Erasmum et Lovanienses opuscula quædam, nimirum de Grammatica, Categoriarum, Principia Dialecticæ et Principia Rhetoricæ; in quibus eruditionem, ingenium solertiamque Augustini desiderabant cordati lectores, qui ab ipso limine a perlegendis tomi primi operibus referebant pedem, quasi ejusdem farinæ alia subsequerentur. Athujusmodi quisquillas propius inspicientes, cum certis argumentis deprehendissemus non pertinere ad Augustinum, inde eas in spuriorum scriptorum classem amandavimus; ut post Retractationum Confessionumque lectionem studiosos nihil remoretur a lectione librorum, quos Augustinus recens conversus elucubravat.

Neque vero propterea strictim, ut pluribus in mentem venire solet, prætereunda, aut quasi e limine salutanda sunt nobilis ingenii prima monumenta, quasi nihil reconditæ doctrinæ contineant, quæ a catechumeno neophytoque, stilo perpolito in dialogorum formam perfecta sunt. Certe enim quæstiones illic perquam difficiles, in quibus olim maxima quæque ingenia desudarunt, defeceruntque, discutit ipse gnæviter, ac sagacissime resolvit. Quam gravissimis rationum momentis de veritatis perceptione contra Academicos, tum de Beata vita, de Ordine rerum, de Animæ quantitate et immortalitate, deque aliis magni momenti rebus inter disputandum occurrentibus agat, quis non admiretur? Deinde in quinque postremis tomi ejusdem opusculis, quæ adversus Manichæos dictavit, quam variis et multiplicibus eorum hæresim, quam validis ac invictis argumentis labefactat et evertit? quæ nimirum opuscula ita mirari se atque suspicere dicebat S. Paulinus, *ut dictata divinitus verba crederet* (*Epist. 24, n. 2*). Denique dum tirocinii sui partes implet, atque animum nuper ab hæresi conversum catholicæ fidei penitus subigit, nihil omnino prætermittit, quo alios liberet a perniciosis illis erroribus, in quos infeliciter incurrerat. Et sive de Philosophis, sive de Manichæis pœnas repetit, contra eorundem errores communit lectoris animum, veræque fidei ac religionis Christianæ fundamenta menti altius infigit. Quid quod ab ineunte vitæ melioris proposito ita comparatus fuit vir sanctus, ut artes ipsas liberales non jejuno illo vulgarium auctorum modo tractaret, sed animo plane christiano, quatenus lectorum animos ad Conditoris amorem perduceret? Ita enim mentem hac de re suam aperit in lib. 1 Retract., c. 6. Unde quinque de Musica absolutis libris adjecit sextum, qui totius argumenti summam ad Deum traducit, erigitque.

Jamvero qui Augustinianæ doctrinæ animum assuefacere, ejusque præceptis et institutis penitus imbuere voluerit, per eosdem necesse est ut proficiat gradus, et ad absolutam illius perfectionem pedetentim assurgat. Non pigeat eandem incedere viam, quam tenuit Augustinus, vir tantus. Eo invitat aut argumenti dignitas, aut modus tractandi res, ubique summo et plane christiano homine dignus: ubique quid discas, aut quomodo discas invenies. Sane in his de quibus agimus libris graves passim occurrunt sententiæ, studiosis instituendis perutiles, quarum vel una cuivis fuerit pro integri libri compendio. Accedit quod in iis, quæ juvenes scribimus, pinguior incedat oratio, ac plenior eloquentiæ succo; plusque habeat vivacioris ingenii, quam ea quæ torpente jam ætate meditatur. Id experimento constat in primis hisce libris, quos Rhetoricæ præceptis perfecte imbutus elimavit Augustinus ante pauloque post baptismum suum. Habent ergo plurimum momenti hæc opera, sive ingenium et eloquentiam, sive doctrinam ac pietatem spectes. Quod de omnibus dicimus, id de eo quod de Libero arbitrio inscripsit Augustinus, expertus est Odo, postea episcopus Cameracensis, qui dum forte fortuna a quodam clerico hunc librum coemisset, in scrinii angulum projecit, utpote qui

(1) Hic incipit tomus primus Benedictinæ editionis, præposita solum epistola dedicatoria.

adhuc mundanæ sapientiæ deditus, magis delectabatur lectione Platonis, quam Augustini. Cum vero post duos ferme menses Boetium de Consolatione Philosophiæ discipulis prælegens, ad quartum librum, in quo de libero arbitrio disse:it, pervenisset; recordatus empti libri, vocato ministro suo jussit eum sibi deferri. Lectis duabus tribusve paginis, convocatis scholaribus suis, Vere, inquit, hactenus ignoravi Augustinum tantæ tamque delectabilis fuisse facundiæ. Perlegendo tertium librum, in virum alterum mutatus, scholas paulatim deserit, ecclesiam frequentat, ac demum sæculo nuntium remittit. Hæc ex Herimanno Tornacensi monacho discimus (a). Idem expertus fuerat Paulinus (Epist. 25, n. 1) jam a nobis laudatus, qui easdem Augustini contra Manichæorum hæresim scriptiones primas, et de scholasticis facultatibus affluentes, et de cælestibus favis dulces, ut animæ suæ medicas, et altrices avidissime lectitare solebat. Hos igitur libros, inquit, lectioni habeo, in his me oblecto, de his cibum capio, non illum qui perit, sed qui operatur vitæ æternæ substantiam. Tum in Augustini laudem exclamat: O vere sal terræ, quo præcordia nostra, ne possint sæculi vanescere errore, condiuntur, etc.

Cæterum quantum operæ in emendando hocce tomo posuerimus, nihil interest explicare per partes. Admonitiones in opusculorum fronte præfiximus, atque argumentum cujusque libri ascripsimus initio. Capitulationum lemmata sæpius inconcinna mutavimus passim, earumdemque numericas notas marginibus affixas, ne receptis citationibus confusio gigneretur, retinimus, mutatis tamen interdum et multiplicatis sectionibus, quas in numeros etiam distinguere visum est, ut facilius esset Augustini lectio. Notulas in margine inferiori apposimus, ubi insigniorum correctionum rationem reddidimus. Comparavimus rerum Scripturæque Indicem ¹ in hujus tomi opuscula, studiosis nonnihil utilitatis, uti speramus, allaturum. Alia præstitimus demum, quæ superius in præfatione generali abunde explicantur.

¹ Patrum Maurinorum rationem non omnino sequi nobis visum est. Inutilis enim est index analyticus particularis cuique tomo suffixus, cum indice generali claudendum sit totum opus; saltem multo magis proderit indicem rerum, prout in quolibet volumine veniunt, ad finem uniuscujusque posuisse. Quod in Benedictina editione a multis, nec immerito, desideratur. M.

(a) Herim. in Narrat. Restaurationis Abb. S. Mart. Tornac., n. 4, Spicileg. tom. 12.

ADMONITIO

DE DUOBUS RETRACTATIONUM LIBRIS

Quid causæ sanctum Augustinum ad retractandas castigandasque lucubrationes suas impulerit, aperit ejus præfatio in sequentes libros. Id negotii aggressus est sub ultimam vitæ suæ periodum; certe non multo ante annum Christi 427, cum in quarto de Doctrina Christiana libro, quem in Retractationibus testatur a se, dum huic rei incumbit conscriptum esse, annos numeret ferme octo vel amplius a sua apud Cæsareenses peregrinatione, unde ipsum labente anno 418 rediisse liquet. Cum autem scriptiones suas omnes, nempe Libros, Epistolas, Sermones, seu quos dictaverat, seu quos dixerat, ad examen revocare animo destinasset, a Libris suis rem adorsus est: jamque omnes hactenus editos expenderat, cum epistolam secundam scripsit ad Quodvultdeum (Epist. 224), anno forte 428, quo tempore Prosper et Hilarius in Galliis nondum rescierant editum quidquam hujusce operis, uti ex Hilarii Epistola intelligitur (Epist. 226), cujus tamen libros duos antequam eorum litteras recepisset, absolutos fuisse rescribit Augustinus in lib. de Prædest. SS., c. 3. Quod itaque dicit Possidius c. 28, Ante proximum diem obitus sui, a se dictatos et editos recensuit libros; id rigide ex litterarum apicibus non interpretandum est: præsertim cum eodem ipse loco volumina hac de re duo ante Vandalorum in Africam irruptionem peracta referat.

Epistolis etiam exigendis operam dabat Augustinus, jamque bene multas sedulus relegerat, tametsi nullam in eas animadversionem in scripta redegerat; cum ecce Juliani pelagiani posteriores octo libros prodiisse audit, eosque adhortante Alypio refellere aggreditur; atque interim cœptum opus remissius agit, quod demum morte præoccupatus absolvere non valuit.

Porro S. Doctor libros suos, ex temporum plerumque ordine recensitos, duas coegit in classes, ut quos a conversionis suæ die scripserat nondum Episcopus, horum retractationem codex unus complecteretur; alter cæterorum. Quorum omnium titulos, tempora, argumenta, et occasiones hic persequitur, ac postremo singulorum initia diligenter notat. Huic operi Possidius titulum tribuit, de Recensione Librorum. Omnes tamen libri editi ac scripti Retractationum libros appellant, uno forte excepto vetustissimo Ms. codice Corbeiensi, qui, mutato vocabulo, in fine libri primi sic habet: Explicit liber primus Recognitionum. Apud ipsum Augustinum tum in epistola ad Quodvultdeum, libroque de Prædest. SS., cc. 3 et 4; tum in brevi qui hisce libris subnectitur epilogo, nomen Retractationis, seu Retractationum opus istud obtinet. Atque hoc perquam opportunum, quo intelligas non modo errata reprehendi, verum etiam defendi recte dicta; et quos imperiti locos sollicitabant, tractatione iterata firmari. Retractabam, ait in laudata epistola ad Quodvultdeum, opuscula mea: et si quid in eis me offenderet vel alios offendere posset; partim reprehendendo, partim defendendo, quod legi deberet et posset, operabam. Denique opus illud celebrarunt eo nomine veteres, Prosper, ad Exc. Genuensium; Cassiodorus senator, de Institutione div. Script., cap. 16; Beda, præfat. in lib. Retract. in Act., etc.